



Hunc librum Musis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

Comparati mihi  
Witzeb.  
p. mat. 12. q.  
p. hinc. 4. q.  
Al. Joh. Reibel.  
1624.



COLLEGI  
DE SACRAMENTIS

Disputatio XIX.

DE

COENA DOMINI  
CONTRA CALVINIANOS

ἀνασχεδασμένη

Quam

Annunte JEHOVA

SUB PRÆSIDIO

Dn. BALTHASARIS MEISNERI

S.S. Theol. D. & P.P. Magnifici p.t.

RECTORIS.

*In privato Collegio examinandam,  
proponit*

M. JOHANNES MÜLLERUS  
Uratislaviensis.

*Habebitur ad d. 24. Xbris, horis pomeridianis  
in minori Auditorio.*



WITTEBERGÆ,  
*Ex Officina JOHANNIS GORMANNI,*

ANNO MDCCXX.





VIRIS

*Clarissimis, Reverendo, Excel-  
lentissimis,*

Dn.: M. ERASMO SCHMIDT,  
in Incluta Witteberg: Academia Græc:  
L. & Mathem: Prof: Pub. Dn. Præcepto-  
ri, Hospiti & Patrono, Parentis instar ho-  
norando.

Dn. M. JOACHIMO FLEISSERO,  
Ecelesiæ, quæ est BRESLÆ in Neapoli ad  
Divum BERNHARDUM Præposito vigi-  
lantissimo, Domino & Patrono meo sin-  
gulariter honorando.

*Has Theses Theologicas sin-  
gularis observantiæ ergo*

nuncupo

M. JOHANNES MÜLLERUS  
*Autor & Resp.*



Σὺν Θεῷ.

THESIS I.

**V**erba testamenti Filij Dei αὐτοπίστως καὶ αὐ-  
τῶν facta sunt Calvinianis lapis offensionis, &  
signum contradictionis: quas enim absurdas λεπτο-  
λογίας Pater mendacij Joh. 8. v. 44. ex orco proferre potest  
contra τὸ ῥητὸν, eas omnes Calviniani arripiunt, & in anti-  
quando Testamento Jesu Christi adhibent & admovent, non  
sine magno Ecclesiae scandalo.

I I. Ex multis hoc unicum nobis sufficiat, quod verba Chri-  
non parum extenuent. Viet. Strigelius Lipsiae Anno 67. pu-  
blice docuit, non tantum verba Coenae sed magis totam do-  
ctrinam Christianam esse respiciendam. Schwengfeldius  
ait, verba Christi paulisper ex oculis esse seponenda, donec  
sententia aliunde decisa fuerit. Buzerus super t. 6. Iohan:  
vocat aliquot verbula super panem murmurata. Daniel à  
Büren Consul Bremensis, in Colloquio Anno 60. ibidem ha-  
bito, vocat tria impotentia verba. Beza in Creoph. p. 17.  
ait nos verba Coenae defendentes pugnare de a fini umbrâ. Vi-  
deantur ipsi authores & res erit manifesta.

I I I. Verum rejiciant isti audaculi Verbum DEI, &  
DEUS quoq; illos à conspectu suo rejiciet. Nos dicimus verba  
Coenae esse ἀμετάπλωτον fundamentum, & principium πρῶ-  
τον καὶ ἀμεσον, adeoq; infallibile, quibus firmissimâ τῶ λη εἰ-  
φορῆα innitimur. Scimus enim, quod sint verba Θεόπνευστα  
2. Tim. 3. v. 16. ἀληθινὰ imò ipsa ἀληθῆα, Joh. 17. v. 18. à  
quatuor testibus ἀξιοπίστοις summâ fide annotata, & ab illo  
prolata, cui nihil est ἀδύνατον Luc. 1. v. 37. qui potest facere  
cumulate ultra omnia quae intelligimus. Eph. 3. v. 20. In quo  
omnes sapientiae thesauri sunt reconditi, Col. 2. v. 3. quem  
nos audire jubet Pater coelestis, Matth. 14. v. 5.

A 2

IV. In



IV. In hoc fundamento destruendo Calviniani omnia molimina moliuntur, omnes machinas machinantur, sed frustra: nam Verbum DEI manet in aeternum, Psal. 33. v. 11. Esa. 40. v. 8. 1. Pet. 1. v. 25. nec mundo intereunte interibit, Matth. 5. v. 18. Marc. 13. v. 31. id quod ex sequentibus patebit.

V. Quia autem in precedente ἐξετάσει defensivè & κατασκευαστικῶς à nobis actum est, & demonstratum, verba Coenae stare inconcussa, & manducationem oralem esse certam, ordinis ratio requirit τὴν ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, & destructivè seu ἀνασκευαστικῶς telam exorsam pertexere: id quod optime fiet, si ψῶφισμῶν & κρησφύγετα adversariorum ad Verbum DEI & rectam rationem examinerimus, pellem ovinaam lupo detraxerimus, & eorum ἀλόγια ἀλογα καὶ ἀθεόλογα publice demonstraverimus.

VI. Ut atem κατὰ τάξιν καὶ ὀρθομενῶς procedamus certos nobis cancellos praefigimus. Argumenta verò adversariorum sunt duplicia, vel enim contra ῥητὸν verborum pugnant, vel contra oralem manducationem. Quia autem numero potius quam pondere argumentorum pugnant, ut valeant, non quia magna, sed quia multa sunt, ideo in plures classes erunt distribuenda. Illa autem contra ῥητὸν desumuntur, 1. ex analogiâ reliq: Sacramentorum. 2. ex ascensione CHRISTI. 3. ex Physicis proprietatibus. 4. ex Troporum doctrina. Quae autem contra oralem manducationem, vel sunt ex ratione, vel ex Scriptura desumpta. Videbimus singula, & Deo juvante refutabimus.

VII. Primò ex reliquorum Analogiâ ita discurrunt. Sacramenta non sunt signa rem signatam in se comprehendentia: non enim sunt vasa sed media, quibus res signata si-



ra fide percipiuntur. Probant hoc ex Vet. Test. Circumcisio est  
foedus, agnus est transitus quæ non exhibitivè, sed significati-  
vè exponuntur. Sic in Baptismo licet dicamur CHRISTUM  
induere, non tamen verè eum induimus, sed tantum signifi-  
cative, nempe nobis meritum ejus applicamus. Addunt eun-  
dem CHRISTUM, eandem escam & potum in Vet. & Nov.  
Test. fuisse, & hisce proprium sensum verborum ut sonant, e-  
vertere conantur.

II X. Verùm hîc non diu immorabimur, natura enim  
Sacramentorum utriusq; Test. in precedentibus fuit discus-  
sa. Tantum hoc dicimus. Sacramenta omnia conveniunt in  
quodam tertio, sed non in omnibus. Conveniunt in Effici-  
ente, Deo scilicet: in Fine; utriusq; enim Test. sunt & Op-  
erâ Rom. 4. v. 11. promissiones gratiæ, confirmationes fidei,  
& Ecclesiæ notæ. Differunt autem materiâ & formâ. Et li-  
cet utriq; sit materia terrestris & celestis in genere, diffe-  
runt tamen in specie, in Vet. erat typica, in Nov. est vera,  
ibi umbra hîc corpus, ibi figura hîc figuratum. Hebr. 10. v. 3.  
Coloss. 2. v. 17. Forma autem ex quolibet specialiter desu-  
mitur.

IX. De eâdem escâ & potu quod dicunt, non concedimus:  
in Vet. enim Test. erat CHRISTUS exhibendus, in Nov. est ex-  
hibitus; illi in incarnandum & occidendum, nos in incarna-  
tum & occisum credimus. Baptismum vero signum non tan-  
tum significans, sed & conferens esse gratiæ divini in præce-  
dentibus est probatum.

X. Quod attinet propositionem Circumcisio est foedus, resp.  
eam esse ἀρχαίου. & licet esset ἐν ἑαυτῷ, propriè tamen  
ut verba sonant esset intelligenda. Agnum esse transitum scri-  
ptura non dicit, sed verba sic sonant: Est enim transitus Do-  
mini, quæ vox sumitur, vel pro festo transitus, vel pro victi-



ma Paschali. Lege de his & similibus Philosoph. Sobr. par.  
I. Sect. I. c. 5.

XI. Secundò, Verba propriè intellecta cum articulo ascensionis pugnare ajunt; & hic corradunt dictatum de transitu Christi ex hoc mundo, tum de ascensione ejus in cœlum loquentia. Prioris generis dicta sunt, Joh. 16. v. 28. ego relinquo hunc mundum, Joh. 17. v. 15. Non amplius sum in mundo, Matth. 26. v. 11. me non semper vobiscum habetis. Hinc arguunt, de divinâ natura hæc non intelliguntur utpotè quæ omnia replet E. de humana. Quod si ita, Christus non est in Cœnâ, & sic cadit præteritè verborum.

XII. Verùm 1. In prima Cœna ascensio nondum erat facta. Contra realem igitur præsentiam in illa non possunt hinc argumentum petere. 2. Transire e mundo significat in illis locis deponere statum exinanitionis: probo hoc. CHRISTUS ait se exivisse à Patre & venisse in mundum. Si venire & abire notat motum localem, sequitur, quod CHRISTUS Patrem reliquerit, quod falsum: Pater enim ut verus Deus cœlum & terram implet. Sicut ergo exitus à Patre notat formam servi accipere, Philip. 2. v. 6. Sic exitus e mundo notat illam servi formam deponere & occupare ea, quæ Pater in manus dedit ipsi, Johan. 13. v. 3. Dedit autem ipsi æternam potestatem omnium in cœlo & in terrâ. Daniel. 7. vers. 14. Matth. 28. v. 18. 3. Non sequitur, CHRISTUS non adest nobis eo modo, quo adest discipulis in statu exinanitionis, Ergò planè non adest.

XIII. Quoad ascensum CHRISTI urgent etiam vocabula Actor. I. v. 10. πορεύεσθαι, Luc. 24. v. 51. φέρεσθαι Actor. I. v. 9. nubes ἔλαβεν ipsum. 2. Thess. 4. v. 16. dicitur venturus de cœlo. Matth. 26. v. 64. Hinc tumultuatur Be-



za cum Sadeele & suis affectis, corpus & sanguinem CHRISTI tanto intervallo abesse à terrâ, quanto supremum cœlum ab infimâ terrâ.

XIV. Verùm, ut καὶ ἀπεπέεεεε loquamur, subtilitas hæc Calvinistica est nimis crassa; nam 1. sicut Unitas Essentie & Trinitas personarum in DEO non pugnant, sic nec CHRISTI ascensio. & ejus in Cœnâ manducatio: utrumq; est pie credendum, non curiosè rejiciendum. 2. Paulus 1. Corinth. II. v. 23. etiam post ascensionem repetit institutionem iisdem verbis, quibus à Christo prolata & Evangelistis est annotata. 3. CHRISTUS corpore ex Mariâ assumpto etiam post ascensionem in terris apparuit, Actor. 9. v. 5. c. 23. v. 11. 1. Cor. 15. v. 8. Apoc. 1. v. 13.

XV. 4. CHRISTI ascensio non est nuda loci mutatio, ut bipedes isti sibi imaginantur, qualis fuit Henochi, & Eliæ: sed ascendendo nactus est potestatem æternam, Daniel. 7. v. 14. regnum cuius non est finis, Luc. 1. v. 23. nomen super omne nomen, Phil. 2. v. 6. sedet ad dextram Dei, Psal. 110. v. 1. Heb. 8. v. 1. hoc est super omnes principatus, dominationes & virtutes est constitutus, Eph. 1. v. 20. cœlisq; est excelsior factus, Hebr. 7. v. 26. Ubi per dextram DEI locus non intelligitur, sed divina majestas, quod probatur ex Esa. 66. v. 2. Psal. 139. v. 10. Exod. 15. v. 6. Psal. 20. v. 7. Ubi dextera DEI omnia fecisse, miseras servare, hostes occidere, potenter auxiliari posse dicitur; quæ de loco dici non possunt. 5. Nulla est connexio, CHRISTUS eo modo non est in Cœnâ, quo in cœlo, ergo nullo alio: plures enim dari presentie modos, probat mihi illud Luc. 24. v. 44. ubi CHRISTUS ait, hæc locutus sum, cum adhuc vobiscum essem: & tamen erat cum discipulis tum, cum hæc loqueretur: innuit scilicet se alio modo ante, alio post resurrectionem assuisse.



XVI. Tertiò à proprietatibus humani corporis oriuntur tumultus & debacchationes. Verum & naturale corpus non potest esse in pluribus locis. CHRISTI corpus est tale. E. In quo argumento Sadeel suos libellos de Veritat. hum: Nat: de Mand. Sacram. consumit, & de localitate, finitudine, dimensione perpetuas ἀντιλογίας sibi deducere videtur.

XVII. Mirum est, quòd isti homines τῆ τέχνη τὰ τεχνικὰ, καὶ τῆ φύσιν τὰ φυσικὰ, τῶ θεῶ autem τὰ θεῖα non credant: & ideo quidem non credunt, quia non intelligunt, quod est stultissimum genus disputandi in Theologicis. Si credis Mariam esse matrem & virginem, ferrum natum & manere ferrum, ignem non urere & manere ignem; aquas instar murorum surgere & manere aquas, CHRISTUM ambulare in mari, & retinere corpus naturale, cur non credis corpus Christi esse naturale & adesse in Coenâ, cum ratio fidei ubiq; sit eadem, nempe verbum Dei. Sapientiae ejus non est numerus & ipse potest superabundanter facere quàm nos intelligimus, Ephes. 3. quod ergo non admittit corporis proprietates, admittit CHRISTI omnipotentis majestas.

XVIII. Sed ad rem. 1. Sunt quatuor termini in argumento; In majore sumitur σῶμα pure φυσικόν; in Minore corpus in ὑπόστασιν λόγου assumptum, qualitatibus caelestibus glorificatum, aeternâ potestate donatum, caelis excelsius factum. 2. Idiomatica ὑπερφυσικὰ de carne CHRISTI probat Scriptura: dicitur enim Actor. 10. v. 28. Ecclesiam redimere, Rom. 5. v. 9. justificare. Hebr. 4. v. 14. conscientiam mundare. Joh. 6. v. 53. vivificare. Luc. 6. v. 19. virtus de corpore ejus exiit. Matth. 14. v. 25. ambulat super mare. Joh. 20. v. 19. venit januis clausis. Luc. 24. v. 31. fit ἀδάμ.

τῶ



τ. Joh. 20. v. 22. flatu sui corporis dat Spiritum sanctum.  
Cui & illud Matth. 28. ascribitur, Ego sum vobiscum usq; ad  
consummationem seculi.

XIX. Imò corpus CHRISTI quatenus est in λόγῳ, ne-  
gamus esse in loco. Quod enim in ἡμῶν οὐσίᾳ λόγῳ subsistit, est  
in nullo loco, Humana CHRISTI natura in illa subsistit.  
E. humana CHRISTI natura est in nullo loco, intellige  
quatenus est in λόγῳ. Quid hic Sadeel excipiat, novimus &  
in conflictu refutabimus.

XX. Quartò, ad omnes confugiunt Tropos male  
cause patrocinium quærentes. Quidam defendunt Meto-  
nymiam; alij Synechdochen in poculo constituunt; re-  
liqui τὸ manducare & bibere metaphoricè accipiunt. Re-  
stat sola Ironia, quam ad sanctissima verba non detorquent.  
Beza oppugnat verba edere & bibere, Carlstadius parti-  
culam hoc. Zwinglius τὸ est, OEccolampadius τὸ est  
corpus. Hi tanquam fratres Cadmei sese oppugnantes su-  
is ἐτεροδοξίας, sibi absurditatibus perpetuis contradicunt,  
monstrante hoc ad oculum D. Grawero in absurdis Cal-  
vinisticis.

XXI. Pareus instar Herculis Calvinistici prodit, & omnes  
oppugnat particulas, in lib. de literâ ac sententia verbo-  
rum Dn. dicens, 1. Lutherum ipsum hic facere Tropum, dum  
concedat Synechdochen. 2. si hoc καὶ ῥητὸν accipiatur, pugna-  
re cum primâ institutione: nam, ait, aut CHRISTUS ha-  
buit duo corpora, unum in pane latens, alterum in mensâ se-  
dens; aut unum CHRISTI corpus fuit simul visibile & in-  
visibile. 3. invidium hoc proponit, qui pro hoc ponit in hoc  
is literam non servat.

XXII. Resp. 1. Pareus aut non intelligit, aut non vulgè in-  
telligere quid sit σωεχδοχή Grammatica & Rhetorica.



Hæc dicit mihi partem pro toto & contra; illa unâ particu-  
lâ notat res duas conjunctas, quarum altera αὐτὴν altera  
ἄλλαν, principale interim denominatur, ut, cum porrectis cu-  
nis dico, hoc est infans, porrecto sacculo, hoc est pecunia, por-  
recto pane, hoc est corpus. Et tales propositiones etiam alias  
dantur in sacris in quibus quid dicitur esse ipsum, quod tamen  
est in alio. 2 Cor. 5. dicitur, Deus erat in Christo; cum tamē  
Deus sit Christus. Matth. 3. Columba est Spiritus, & in co-  
lumbâ est Spiritus. 2. Reg. 6. v. 22. flammei equites sunt an-  
geli. Act. 2. v. 3. flamme in ore Apostolorum sunt Spiritus.  
Addo quod in Philosophicis dentur multa exempla ut in gene-  
re specie, Individuo, ubi in notionibus primis alterum dicitur  
esse in altero, & esse alterum.

XXIII. Adversarij λόγον ἀντιφαστικὸν fingunt in eo,  
corpus Christi fuisse visibile & invisibile, quod non est: [duo  
enim corpora nemo defendit] Sed Resp. 1. Si corpus nullo mo-  
do fuit in pane, quo modo panis fuit communicatio corporis,  
quo modo Apostoli potuerunt accipere si non fuit in pane, 2.  
non est contradictorium corpus Christi simul fuisse visibile &  
invisibile, nam termini πρὸς αὐτὸ non opponuntur: in pane  
δυναμικῶς fuit visibile & sic actu invisibile; in mensa fuit actu  
visibile: actu enim non semper fuit visibile, Luc. 24. vers. 31.  
Joh 8. v. 59. & sic evanescit contradictio. 3. Si nunc urgent  
eandem invisibilitatem, dico ipsos confundere corpora glori-  
ficata & merè φυσικὰ: illa enim sunt ἰσαγγελα & πνευ-  
ματικά, & ἀ non gloriosis non semper videntur nisi οἰκονο-  
μικῶς hoc fiat. Non urgeo nunc quod caro Christi propter  
ἐνώσιν ὑποστατικὴν sit λογθεῖσα, θεωθεῖσα, & quæ habe-  
at dona per ἰδιωματικὴν κοινωνίαν.

XXIV. Urgetur autem explicatio τῆς hoc, pro in hoc.  
R. literalis sensus non mutatur, sed litera inflectitur,  
quod



quod necesse esse ita demonstro. τῆρ aut refertur ad panem  
aut ad corpus: Non illud, τῆτο enim est neutrum, & ετ  
est mascul: non hoc, propositio ista emergit, corpus est cor-  
pus. Ergo τῆρ refertur ad totum complexum, ad signum ex-  
hibitivum & rem exhibendam. Hinc cum nos dicimus, in,  
cum & sub pane non notamus modum unionis, sed predica-  
tionis, ita ut non localem inclusionem, sed realem conjun-  
ctionem corporis cum pane notemus.

XXV. Nugantur multis nasutuli ex illo Lutheri, verbor-  
gen im Brodt so klein; & inclusionem inde deducunt; ne-  
scentes, quod aliud sit mysticè aliud inclusive esse, utrumq;  
enim germanicis dicitur verborgen.

XXVI. Pergunt Tropistæ ex suo Zwinglio est pro  
significat crepantes. Quibus contradicunt fratres Crellius,  
Kekermannus & Piscator, quorum argumenta solvant,  
ubi copulam est tropum habere non posse, demonstratur. Et  
quamvis multa exempla ἀγλαφα & ἐνγλαφα hinc & inde  
corradant, à particulari tamen ad aliud particulare nihil se-  
quitur. Exempla tamen illa vide explicata in Philos. Sobr.  
part. I. Sect. I. quæst. 3. & apud Grauerum in Antipa-  
reano propugnaculo.

XXVII. Pauca hic addimus, nos copulam est hic non su-  
mere ἔστω δῶς, nec ὑποστατικῶς, nec σηματικῶς, sed μω-  
τικῶς, hoc est, duo disparata predicari dicimus propter ἐνω-  
σιν ὑπερφυσικὴν & sacramentalem. Quod si autem quis  
ingerat in propositionem pro est, significat, particula tamen  
est sensum ὑποστατικὸν semper retinet: nec tropo copu-  
la modificatur, sed præter copulam aliquid novum inge-  
ritur. Nam propositio, panis significat corpus, necessa-  
rio in hanc resolvitur, panis est significans corpus,

Inge-



Ingeritur hic significans ex improvise, ex quo fundamento, nescientibus ipsis Calvinianis.

XXIIX. Pergunt Tropistæ & ex copula in prædicatum suum Tropum devolvunt, ut Piscator, Ursinus, & Pezelius: pro, est corpus, substituentes est signum corporis, quibus fratres Crellius & Polanus cum aliis iterum contradicunt.

XXIX. Sed audaculi isti non considerant, quòd CHRISTUS dicat, Corpus meum, quod pro vobis traditur, sanguis meus, qui pro vobis effunditur. Hinc ita. Corpus quod Christus in primâ Cœnâ exhibebat est substantia, quod verba modo allata probant. Metonymia Calvinistica nobis non exhibet substantiam sed accidens, nempe signum quâ tale. Conclusionem faciant ipsi Calviniani.

XXX. Sed hic clamant Timplerus & Keckermannus ex stulto cerebri liripipio, nos non signa vacua, sed quæ signatum annexa habent intelligimus; ratio est quia sunt relata: relata autem relatorum præsentiam inferunt. Falsum.

XXXI. In Vet. Test. sanguis hirci erat signum sanguinis CHRISTI; num propterea hic illi erat præsens? promissio Dei de vitâ eternâ & vitâ eterna ipsa sunt relata; illam habemus, num propterea & hanc? Pater & filius sunt relata, Pater in Silesiâ filius in Saxoniâ vivunt, num sibi sunt præsentis? Sed ajunt se non localem sed relativam intelligere præsentiam. Σιδηρόξυλον, præsentiam in quâ quis absens alteri est præsens, verbum sine re, somnium sive somno.

XXXII. Sed Tropistæ τρέπεδζ egregie norunt; τρόπον λέξεως relinquunt & τρόπον propositionis esse ajunt, ubi signatum de signo prædicatur propter mutuam σχέσιν, non quod unum sit alterum, sed quod unum alteri μετωνυμικῶς attribuat.



XXXIII. Malè. Refutat hoc ipsum Keckerm: S.T. lib.  
3.c.8. Tropus non est in rebus, sed in verbis, connexio & ἁ-  
ρισ propositionis est res ipsa, E. in illâ non est tropus. Et si fa-  
ciamus esse Tropum in ipsâ propositione, erit vel propter sub-  
jectum vel prædicatum, quæ metonymiam admittent. Si sub-  
jectum, vox panis erit: pro corpore posita & evadet hæc, corpus  
est corpus. Si prædicatum, vox corpus erit pro pane posita, &  
evadet hæc panis est panis. Nugæ! & si omnis tropica in pro-  
priam resolvitur, resolvant ipsi hanc sine absurditate. Adde  
quod signatum & signum de se invicem in casu recto non  
prædicentur sunt enim relata, quorum alterum non est alte-  
rum. Sed mittamus Tropistas, & dicamus τὸ πῶς in verbis  
Cœnæ non invenire τὸ πῶς.

XXXIV. Quia ergo Calviniani verba Cœnæ ἀμετάπτω-  
τα & ἀμετάμελητα relinquere coguntur, circumvolant sic-  
ut corvus Noachi & ubi pedem figant, non habent. Tandem  
verba edite & bibite aggrediuntur, & ex 6. cap. Johannis  
spiritualem non oralem manducationem astruere satagunt,  
ut faciunt Sohnius, Beza & Sadeel. Sed in Genere dici-  
mus, illam Ioh. 6. agere de fructu, hanc de substantiâ Cœnæ;  
illam in Vet. Test. hanc non fuisse: illam sine symbolo, hanc  
cum pane & vino fieri, illam à solis fidelibus, hanc à dignis &  
indignis sumi: sine illâ neminem salvari posse, sine hac multos  
infantes & adultos salvari.

XXXV. In specie ratio delirat ita. Nestorius vidit car-  
nem Christi posse edi, non autem Deitatem Christi, hinc con-  
clusit, alium esse qui edatur, alium, qui non edatur. Hunc  
errorem & nos errare si oralem manducationem propugne-  
mus, ut videre est in 12. Haupt Ursachen p. 177. ubi mirè  
in hoc sibi placent argumento.

36. Sed



XXXVI. Sed resp. 1. distinctio non est separatio; naturas nos distinguimus non separamus. 2. insto: ubi est caro ibi & sanguis; num ergo Pontificij recte Cœnam in unâ specie porrigunt? quid Calviniani hic ipsis respondent, illud & à nobis sibi responsum habent, nempe Christo ita placuisse & ita id mandasse. 3. Licet non Deitatem, tamen corpus Deificatum edimus. Sic corpore vulnerato, non dico anima est vulnerata, sed corpus animatum est vulneratum; sic corpus Deificatum editur, licet non Deitas. 4. Non tenemur respondere aliquid ad talia; in his enim tota facti ratio, pendet à facientis potestate & voluntate.

XXXVII. Beza in Cont. de Cœnâ p. 50. & Erastus medicus πολυπρόγμων in Bericht dicunt blasphemè, quod sanguis in cruce effusus in terrâ putrefactus sit; nec sit certum, an à quoquam sit collectus, aut servatus, aut Christo resurgenti inditus. Hinc oraliter bibi non potest.

XXXIIX. Verùm isti homines 1. a sinam Christo imponunt, stultitiam mundi eligunt, & sapientiam DEI negligunt. 2. Dicat iste Erastus quis carnem, sanguinem & pellem nostram asservet, cum tamen eandem Job 19. in resurrectione habituri simus. 3. Act. 2. v. 27. caro ejus corruptionem non vidit.

XXXIX. Sadeel & Beza ex orali manducatione varias nectunt dilacerationes, expansiones, distensiones, multiplicationes corporis Christi in tot partes, quot sint communicantes.

XL. Carnalia sapiunt, negant, quod non intelligunt. Si corpus Christi esset mortale, quale meum aut tuum, procederet; sed quia in λόγος ὑπόστασις est assumptum, & sedet in illocali dextera Dei, certè loca in conspectu nostro disjuncta, in conspectu illius semper sunt presentia. Omnia implet  
Eph.



Eph. 4. hoc est, intra omnia non inclusus, est extra omnia non exclusus, sed hic & illic totus. Et si daretur locus, ἂ λόγῳ repletus, ubi non esset humana natura sequeretur, λόγον esse partibilem, vel non totum incarnatum. Sic enim hic esset ἂ σαρκί, alibi ἐν σαρκί, quod contra Scripturam; nam Col: 2. πᾶν τὸ λόγον ἡμῶν tota plenitudo Deitatis dicitur habitare in ipso.

XL I. Sed hic κρεοφάγιστον Capernaiticam & lanienam sequi blasphemē eructant. Resp. ex falsa & fictā opinione hoc fit. Non enim naturalem sed Sacramentalem habemus manducationem, hoc est, ubi actio fit ore ut instrumento, sed non modo orali, hoc est, sine sensu & actionibus Physicis consequentibus sine commolitione, concoctione & aliis. Et hic dicimus comestionem esse subitanam, fructum autem durabilem.

XL II. Instant: Christus in primā Coenā fuit exhibens & exhibitum, porrigens & porrectum, quod ipsis ἂ τοπον videtur. Resp. 1. Gal. 2. legitur, quod Christus seipsum tradiderit: hic Christus est sacrificans & sacrificium, Sacerdos & victima, quod nobis non est absurdum. 2. Duplicem Christum nos non fingimus, sed unum, qui sine motu locali vescenticonferatur, & in actu manducationis fiat κοινωνία.

XL III. Pergunt. Quicquid Christus in manus sumpsit, fregit & dedit illud acceperunt. Sed solum panem in manus sumpsit, fregit & dedit. E. solum panem comederunt. Resp. 1. Subsumo per instant. sed solum poculum accepit & dedit. E. solum poculum & non vinum biberunt. Si resp. ex posterioribus colligi quod vinum in poculo fuerit, rehero, idem colligi quod corpus cum pane fuerit. 2. In Majori est fallacia compositionis & divisionis, conjunguntur ea quae non sunt  
con-



*conjungenda: non id quod dedit etiam fregit; nam corpus su-  
um dedit, quod tamen non fregit. 3. Particula solum sophi-  
sticè inseritur sicut in hoc. Mediator noster est homo. Solus  
Christus est mediator noster, E. solus Christus est homo. Logi-  
ca de hisce.*

*XLIV. Ulterius. Quod corpus in cruce pependit, illud  
habemus. Sed nullum invisibile in cruce pependit. E. Resp. 1.  
vitiosè minor de qualitate, major de substantiâ loquitur. 2.  
Visibile est ambiguum; in cruce erat actu visibile, in Cœnâ  
est divinus. 3. Sic subsumerem; sed corpus non occisum,  
non mortuum non resuscitatum in cruce pependit, E. & ta-  
le in Cœnâ habemus. De substantiâ ergo non qualitate & ac-  
cidente loquimur.*

*XLV. Reliqua ex Scripturis desumpta, quod caro non  
profit, quod Christum non secundum carnem nosca-  
mus &c: ex textus coherentiâ facilè solvuntur, nec enim  
hic omnia annecti potuere. Plura videantur apud Chem-  
nitium de Fund. Cœnæ. Hunnium in tract. de Sacram.  
Schlüsselb: in Theol: Calvin: Meisnerum in Philos.  
Sobr. Grawerum in absurd. Calv: & de localitate cor.  
Ch. Gerhardum Tomo 5. Hütterum in Form. Con-  
cord. & alios. Nos hic subsistimus.*


*CHRISTO Θεωλογίως Gloria.*













Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19  
Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black

REGII  
MENTIS  
XIX.  
DOMINI  
VINIANOS  
EHOVA  
SIDIO  
IS MEISNERI  
P. Magnifici p.t.  
RIS.  
*examinandam*  
MÜLLERUS  
iensis.  
*is, horis pomeridianis*  
*Auditorio.*  
BERGÆ,  
NNIS GORMANNI,  
10 C X X.

